

1585

Veneti
legati ad
Xystum
Pontificem.
Xysti Pon-
tificis genus
& fortuna.

statim Senatorum, qui supremam ei dignitatem gratularentur; legatio est decreta. Fuere ii Jacobus Fuscarenus, Marcus Antonius Barbarus, Marcius Procurator, Marinus Grimanus, Leonardus Donatus. Raro atque inaudito fortasse felicitatis exemplo ad eam dignitatem Xystus evectus est. Non generis nobilitate, non divitiis, sola virtute nixus. In humillimo vico (*Grottas* vocant) sub Firmi civitate constituto, humillimis parentibus ortus; patre manuum labore agro serendo vitam ducente. Attamen tum quoque praesagia quaedam, ac futurae illius amplitudinis ostenta inspecta sunt. Ferunt enim patrem in somnis sibi vocem audire visum, quae illi filium Pontificem futurum exprimeret; inde omine arrepto, natum Felicem vocasse. Hanc ortus humilitatem, ut plerique faciunt, qui ex infimo gradu in altum quandoque tolluntur, nunquam erubuit. Vix annum nonum attigerat, cum, reluctante patre, divi Francisci minorum fratrum religioni se addixit; inter quos vitae instituto ac doctrina ad omnes adipiscendas dignitates sibi aditum struxit, assurgentique virtuti invidentium malevolentiam prudentia animique constantia superavit. Ejus egregia opera cum Pius V. in Inquisitionis munere usus esset, in suae familiae comitiis summam praefecturam est natus; mox Episcopus creatus; tandem ab eodem Pontifice, cui Cardinali atque legato in Hispania inservierat, in purpuratorum collegium est cooptatus. Dumque a curis semotus privatam vitam agit, secessuque excultissimae vineae oblectatur, in qua saepius ipsemet callida dissimulatione operatur, a negotiorum concursu alienum, ambitione vacuum, otio ac quieti deditum sese ostentat, ad supremam dignitatem est evectus.

Ac licet statim, allato ejus rei nuntio, nonnihil Patres haerere atque suspicari viderentur, memores aliquot ante annos, dum Inquisitionis munere Venetiis fungeretur, ob nonnulla, quae ab eo molesta acciderant, a Decemvirum collegio ditionibus Venetis abire iussu; attamen extemplo ingens in illo erga Rempublicam benevolentia, in ipsius negotia studium, mutuae amicitiae & conjunctionis desiderium eluxit. Ii etenim initio turbines disjecti sunt, quibus, Gregorio pontificatum obtinente, Apostolicae Sedis cum Veneta Republi-